

HERMANNVS SVERINENSIS EPISCOPVS.



Hermānus Coppe multis uirtutibus insignis fuit. Itaq; cum Suerinensis Episcopatus uacaret, eius Ecclesiæ Episcopus omnium suffragio electus fuit. Eam uocationē ipse magno animo suscepit, & summa laude diu administravit. Cum enim Ecclesiæ prædia antecessorū fastu iam dudum essent ab alienata, ipse eadem magna solertia redemit, & Episcopatum plurimūm illustravit. Eo tempore diuturnum bellum erat inter Ericum Dano-rum regem, atq; duces Slesuicenses & Holsatiæ co-mites. præterea inter Vuilhelmum Brunsuicēsem ducem, & Bremensem Archiepiscopum. Verūm Hermannus in ea difficultate suam ditionem pacificè administravit, atq; sua prudentia inter dissidentes pacem componere laborauit. Hinc factum ut apud omnes in magna authoritate extiterit.